


- 1) Burc. Gottk. Struvii Synt: Antiquit: Rom. de ritibus Sacris. Jen. 1701.
- 2) Fr. Menius et Th. Wagner: de consecratione templorum Rom. Lipp. 1729.
- 3) Th. Wagner: de Aris in Curia et pro Tribunal ap. Romanos. Lipp. 1732.
- 4) Io. Andr. Bosius: de Pontifice Maximo. Romanorum. Lipp. 1654.
- 5) Jo. Guil. Berger: de evocatione Deorum ex oppidis obfisis: Vitemb. 1714.
- 6) M. Iac. Frid. Luedcke: de ead. materia: Vitemb. 1715.
- 7) D. Franc. Car. Conradi: de Facialibus et iure Faciali pop. Rom. Helmst. 1734.
- 8) Jo. Ge. Walch: de gymnasii literariis vet. Romanorum. Jen. 1721.
- 9) M. Jo. Godofr. Richter: de tabulariis urbis Roma: Lipp. 1736.
- 10) Chr. Gottl. Schwartz: de fastorum Rom. formula: post Consulatum: Altorf. 1735.
- 11) Jo. Math. Gesner: de annis, ludisq; secularibus Roman. Vinar. 1717.
- 12) Jo. Chr. Wagenfeil: de re monetali vet. Romanorum. Altorf. 1723.
- 13) M. Chr. Fr. Ruke Spec. I. Philologic è nummis vet. Rom. Francof. et Lipp. 1708.
- 14) E. Spec. II. ibid.
- 15) Ch. Jo. Hoffmann: de moneta Faustinae: Erfurt. 1709.
- 16) Jo. Fr. Heckel: de nummo aureo Constantini M. Dresd. 1679.
- 17) Id. de nummo argenteo Constantini M. Dresd. 1680.
- 18) Ge. Wolff. Wedel: de nummis Serenatis: Jen. 1692.
- 19) Jo. Guili. Janus: de censi Romancrum primo: Wittels. 1715.
- 20) D. Jo. Guili. Hoffmanni Hist. Triumviratus: Francof. ad V. 1733.
- 21) M. Dav. Bernard: de auctoramento funebri Ciceronis necati: Vitemb. 1720.
- 22) Jo. Erh. Kapp: de annua equitum Rom. transvectione: Lipp. 1734.
- 23) D. Chr. Fr. Boerner: de Romuli cognomento, clariss Quirinis: Lipp. 1709.
- 24) M. Heur. Chr. Crell Elogium et Charader Tiberii et Laji Gracorum. Lipp. 1727.
- 25) M. Ge. Chr. Gebauer: de M. Agrippa: Lipp. 1717.
- 26) Ge. Fabricii Roma: Helmst. 1670.





Q. B. V
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISS. PRINCIPE REGIO
FRIDERICO AVGSTO
EVOCATIONEM DEORVM
EX OPIDIS OBSESSIS
E MEMORIA VETERI
REPETITAM
PRAESIDE
IO. GVILELMO BERGERO
P. P
NONIS DECEMBRIBVS
A. R. G
80 CI CC XIV
EDISSERET
IACOBVS FRIDERICVS LVEDECKE
LIBERAL. ART. MAGISTER
AVCTOR
—
VITEMBERGAE AD ALBIM
PRELO SCHROEDERIANO

SENATVS
QVI
SVMMAM RERV M SACRARVM CVRAM
IN SAXONIA
AGIT
PRAESIDI
PERILLVSTRI ATQVE EMINENTISSIMO
CONSILIARIIS
ITEM ATQVE
ASSESSORIBVS
VIRIS
SVMME REVERENDIS MAGNIFICIS CONSVLTIS
SIMIS EXCELLENTISSIMIS
DOMINIS PATRONIS STVDIORVMQVE
AMPLIFICATORIBVS MAXIMIS

DVAS HAS EXERCITATIONES
ACADEMICAS

QVA PAR EST MENTIS ANIMIQUE DEVOTI^ENE
SACRAS ESSE IVBET

ATQUE

CONSILIORVM VOTORVMQUE FELICISSIMA
EVENTA ET OMNIVM CORPORIS ANIMI FORTV
NAEQVE FACVLATATVM QVAM DIVTISSIMVM FLOREM
AC PERPETVAS PROSPERITATVM ACCESSIO
NES ABS DEO OPTIMO MAXIMO
PRECATVS

SVMMIS IPSORVM PATROCINIIS CLIENTELIS
QUE SE SVAQUE STVDIA DEMISSISSIME
TRADIT

TANTORVM NOMINVM

RELIGIOSVS HVMILLIMVSQUE
SERVVS
DOMINI PATRONIS STUDIORUM
IACOBVS FRIDERICVS LVEDECKE.

DE
EVOCATIONE DEORVM
EX
OPIDIS OBSESSIS

Quemadmodum, more institutoque ueterum, Dii, ex opidis obsessis, elici quondam consueuerint, mihi publice differere instituenti, si ne alio quoquam ornatiore ingressu, ab iis, quae de re generatim dicenda sunt, orationem exordiri, non alienum uidetur. Atque, ut inde quidem rem ab origine repetamus, de primis sacri illius, quod usum est ueteribus, auctoribus nihil certi proditum in uetus inuenio monimentis, Romanorum tamen nisi proprium, iis certe usitatum praecipue, et antiquissimum fuisse, liquet. Ad quos quidem haec ratio si ab ullo gentium exemplo, ab Hetrusca certe disciplina, quantum in rebus, propter ue-

A 2 tustatem

DE EVOCATIONE DEORVM

tustatem tam obscuris, coniectura assequi
licet, peruenisse uidetur. Hinc enim, cum
ad augendam institutis rempublicam, tum
ad ius sacrorum, et ceremonias religionesque
procurandas atque interpretandas, multa
transtulisse Romanos, in suumque conuer-
tisse usum, constat. Nam quod aliqui, an-
tiquitatum Orientis, alieno forte loco, stu-
diosi, Balaci postulatum a Balaamo, uti de-
uoueret populum Israelis, eo, ut euocaret I-
raelis Deum, spectasse interpretantur, in-
quorum numero Petrus est Gregorius Tol-
fanus, in Syntagmate, pag CCCXLIX, talia
multa praedicare ausus, illud quidem milii in-
geniose magis, quam uere, dictum uide-
tur. Neque etiam huc attinere putem, quod,
discensus ab Israele, Deus in sacris ora-
culis non semel dicatur, sicut infra uberioris
exponam. Persis quidem atque Aegyptiis
notum fuisse hunc ritum, perhibet Alexan-
der ab Alexandro, quos negat, patriis Diis
locum reliquisse, ne, his forte euocatis, o-
pida

pida sine praesidio relinquerentur. Genial-
Dier Lib. VI, Cap. IV. Sed, neque, ut solet,
quo tandem auctore, id tradat, commemo-
rat compilator, neque de more, gentibus
illis in usu posito, quicquam addit, et ob-
mutescunt hic uiri docti, qui aliis in locis sae-
penumero nimium loquuntur. Neque uero
Graecis magis cultum fuisse morem coniicio,
qui saepe magicis usi carminibus memoran-
tur illi quidem, sed speciatim, in urbium op-
pugnationibus, sacrum huiuscemodi pere-
gisse a nullo, quod sciam, scriptore traduntur,
etsi excedere Deos opidis, quibus, illorum
praesidio spoliatis, pereundum foret, ma-
gna consensione crediderunt. Quare scri-
ptores eius fere moris cum temperamento,
ut Romanis attribuatur, mentionem faci-
unt, atque ipse Plutarchus, qui Graeca alio-
qui cum Romanis instituta conferre solet, u-
bi eum ritum attingit, non modo ex Grae-
cia nihil tale in medium affert, quod isti Ro-
mano mori congruat, sed etiam, euocatio-

DE EVOCATIONE DEORVM

nes esse Deorum, solis Romanorum quorundam testimoniis confirmat. Sammonicus autem Serenus id negotii in rebus receditis, quarum aliquot scripsit libros, reponuisse fertur. Macrobius, uetusissimum Romanorum morem, atque occultissima sacra, appellat. Digna res itaque uisa est, ad quam inuestigandam non nihil operae atque studii conferremus

II

Euocare, elicere, Glossae ueteres, προναλέω, ἐπαίγεσθαι, ἐξάγειν, εὑρίσκειν, uarie interpretantur. Ab elicere Elicius. Varro. *Iouis Elicii ara in Auentino ab eliciendo. Lib V, de lingua Latina. Ouidius Lib III Fast*

*Eliciunt caelo te, Iupiter, unde minores
Nuc quoquete celebrant, Eliciumque uocant*

Luius. *ad ea elicienda ex mentibus diuinis*
Ioui Elicio Lib I Cap XX Elicius in sacris,
diliplinaque Graecorum o nata eatisq; vi-
detur

A

EX OPIDIS OBSESSIS

detur efferrī, aramque τῇ παταθάτῃ Διός
commemorat Pausanias in primo Eliacorum.
Vlpianus Lib· LXII IX· ad edictum. Solent,
qui liberare locum religione uolunt, sacra inde
euocare. Secus accipitur Leg· XXVI· de fidei.
lib. ac saepe in aliis scriptorum locis.
Euocati praeterea, ordo militaris. Dion Lib·
XLV· τὸ τῶν ηὔονάτων σύγμα, & ἡ αὐανλητὴς
ἀν τοῖς Ἑλληνίστας, ὅτι πεπαυμένοι τῆς σεργείας,
ἐπ' αὐτὴν αὐθίς αὐενλήθησαν, ὄνομάσθεν. isque
per honestus. Dion Lib· LV· και εἰσιν τὸ σύγμα
ιδίον, φάεδας Φέργυλες, ὥστερ οἱ ἐναλόνταρχοι.
Gl· euocatus, ταξιαρχος. Ab his tamen dif-
ferunt *Euocati*, quos delegit appellavitque
Galba, hoc est, equestris ordinis iuuenes,
qui, manente annolorum aureorum usu, ex-
cubias circa cubiculum, uice militum, age-
bant. Tranquillus Cap· X· Mansit, ut uide-
tur, nomen, et fuerunt in aulis milites, Prin-
cipum custodes, qui *Euocati Augusti* dice-
rentur. Nuper ecce quidam Euocatus Au-
gusti, uir militaris disciplinae. Hyginus
de

DE EVOCATIONE DEORVM

de Limit^{is} pag. CCIX. In saxis E-
VOCATVS AVGUSTI. EVOCATVS
CAESARIS, saepius est, honoris memo-
riaeque caussa, incisum. Omitto euocatio-
nem mortuorum, siue manium, quae ad
sepulcrum fieri solebat. Horatius Epop.
V. u. XV, et alibi, Apuleius Apol. Praetereo
alia, et, dimissis hic aliis, retineo euocandi
notionem, cum, conceptis ueterum uerbis,
rogantur Dii, opidorum praesides crediti,
ut excedant loco, uictoremque in aliam ur-
bem, aliudque templum, sequantur

III

De Diis, quos euocare moris fuerit,
Geniis publicis, et Fortuna urbium, ante,
quam de religione caetera dicere aggredi-
ar, aliqua praecipienda uidentur. Sic, tutela-
res quidem ex urbibus obsessis euocatos
fuisse Deos, auctor est Macrobius Lib. III
Saturnal. Cap. IX. Plinius, Deum euocari,
testatur, in cuius tutela id esset opidum,
quod oppugnaretur. Natural. Hist. Lib.

XXIX

EX OPIDIS OBSESSIS

Cap. II. Constat enim, enarrat idem Saturnalium scriptor, omnes urbes in alicuius Dei esse tutela. A quo tamen instituto, uti diximus, absuerunt Persae atque Aegyptii, quorum moribus nulli recepti fuerunt Dii patrii, quod uererentur, ne illi, ex opidis euocati, migrarent, atque haec sine tutela desererentur, si credimus Alexandro ab Alessandro, Lib. VI, Cap. IV. Hos autem topicos fere Deos appellat Seruius, quasi locales cum Ammiano, factosque ueluti municipes, ut loquitur Minucius Felix, Cap. VI Octauii. Antiquissimi ad Numicunum flumen facelli epigraphie, πατρὸς Θεὸν χθοῖνος ποταμὸς νομίου βεῦμα διέπει, quam in hanc sententiam exponunt aliqui, laudatura diligentissimo antiquitatum Romanarum scriptore, Dionysio Lib. I, Cap. LXIV. Seruius praeterea Deos patrios dici autumat. Di patrui sunt, qui prae sunt singulis ciuitatibus, ut Minerua Athenis, Iuno Carthagini. Omment. ad I Georg. De quibus literati Lapidés a-

B

pud

DE EVOCATIONE DEORVM

pud Gruterum , pag. CCCCLXXXIV· DED
PATRII N· Et pag· CVII· DIS· PATERNIS·
SVRGASTEO· MAGNO· Penates vero, seu
Denates, populi Romani, quem signis Tro-
ianis fuisse titulum ex antiqua scripturae lege
obseruat, πατερῶν item ναὶ γενέθλιος Θεός
a Romanis efferti, testis est mihi idem ab
Alicarnasso Dionysius Lib· I, Cap· LXVII.
Gl. Penates· πατερῶν θεοί. Sacellum, quod
erat Iouis Praefititis, commemorat Iulius Ca-
pitolinus in Maximo et Balbino. Marmor,
quod in templi Hazakiensis propylaeo uisit-
tur, teste Boxhornio in Quaestionibus Ro-
manis. MERCVRIO· ET· MINERVAE· DIIS·
TVTELAR· R· S· Multa praeterea in uetu-
statis exemplis eius rei monumenta extant,
Diisque passim custodibus, genitalibus, pu-
blicis , Iouique Tutatori, Sospitatori , De-
fensori , Conseruatori, numi perinde , ac
marmora, consecrantur , quos tamen titulos,
ut faciunt aliqui, omnes hoc referre nolim.
Apud Graecos, quae est istorum sermonis in
com-

EX OPIDIS OBSESSIS

compositione uerborum elegantia, τῆς
πολιάρχα Αθηνᾶς celebre fuit templum A-
thenis et Spartae. Vtrumque describit Pausa-
niaas in Atticis et Laconicis. In illius etiam
tutela omnes urbes esse, a ueterum quibus-
dam proditum est, ut tradit Pomponius Lae-
tus in Comp. Hist. Rom. Ερυσίπτολις. Ho-
merus. Πότνι Αθηναίης ερυσίπτολις. Eustathius.
περὶ σωτηρίας πόλεων χεῖρας ἀνέχουτες, ερυ-
σίπτολιν Αθηνᾶν ἐπεβοῶντο. Verum de-
elogiis Deorum, quoad nostra interest, satis

IV

De custodelis Deum insigne est uetus e-
pigramma.

Dodone tibi, Iupiter, sacrata est,
Iunoni Samos, et Mycena Diti,
Vndae Taenaros aequorisque regi.
Pallas Cecropias tueretur arces,
Delphos Pythius orbis umbilicum,
Creten Delia Cynthiosque colles,
Faunus Maenalon Arcadumque silvas.
Est tutela Rhodos beata Solis,

B 2

Gades



DE EVOCATIONE DEORVM

Gades Herculis, humidumqua Tibur.

Cyllene celeri Deo nivosa,

Tardo gratior aestuosa Lemnos.

Ennaeae Cererem nurus frequentant,

Raptam Cyzicos ostreosa Diuam,

Formosam Venerem Cnidos Paphosque.

Atque in eandem sententiam doctrinæ
fideique nostræ antecessores, Clemens
Alexandrinus, in Protreptico, pag. XXV,
Origenes V. contra Celsum pag. CCLVII,
Minucius Felix, Cap. VI Octauii, et Sidonius
Apollinaris, Carm. IX u. CLXV, copiose dis-
putant, foedamque gentium superstitionem
grauissime passim coarguunt et confutant

V

De quorum quidem Numinum, falso cre-
ditorum, origine plura poterant afferri, si
nunc id ageremus. Praecipue uero, qui anti-
quissimus gratiam bene meritis referendi
mos fuit, teste Plinio Lib. XI, conditores,
regesque suos populi, partim admiratione
uirtutis, partim in honorem originis suae, at-
que

que ut augustior ad posteros esset nominum memoria, post mortem, in statuis et imaginibus, consecrarent, Deosque sibi fecerunt uernaculos, ut ait Minucius Felix, Cap. XXV Octauii. Quod quidem diligentissime enarrat M. Tullius in libris de natura Deorum, et sanctiores illi doctores, qui contra gentes scripsierunt, omnem fere Deorum progeniem ita natam esse demonstrant. Clemens Alexandrinus, in Protrept. passim, Lactantius diuinis instit. Lib. I, Cap. XV. Indigetes solemnis Romanorum uerbo appellati. Titus Liuius de Aenea. Situs est, quemcunque eum dici ins fasque est, super Numicunflumen. Ionem Indigetem appellant. Lib. I, Cap. II. Gl. Indiges ήπιος. Festus Indiges hoc nomine Aeneas ab Ascanio appellatus est, cum pugnans cum Mezentio nusquam apparuerit. Falsae sunt Grammaticorum, in his Agroetii, quas produnt, eius uerbi origines, ut mirer, eas probari potuisse Ludotico de la Cerdia, ad XII Aeneidos. Cl. Salmasius

DE EVOCATIONE DEORVM

ab indu et ago deducit, de ui tamen uerbi
ambigit idem, atque indiges, quod χθόνιος
extulisse uidetur Dionysius, modo ἐνναέτης,
ἐντόπιος, Platonis uerbo, modo ἐπίγειος,
quasi terrenus homo, uarie interpretatur,
Plinianis in Solinum Exercitationibus, pag.
LXXI. Docet uero Titus, grauis ante alios,
neque incertae fidei auctor, Aeneam in sa-
critis Quiritium Iouem Indigetem appell-
lari. Vnde uenit nobis aliquando in men-
tem cogitare, huncne forte Aeneam per Io-
uem Quiritium Indigetem intelligere possi-
mus, in iis quidem formulis, *Iane*, *Iupi-
ter*, *Mars pater*, *Quirine*, *Bellona*, *Lares*,
Dini nouensiles, *Dii Indigetes*, ut extat
apud Liuium Lib. IX, et quando dissident
inter se ueterum sententiae de numine Ro-
mae tutelari. *Alii enim Iouem crediderunt*,
alii Lunam. Sunt, qui Angeronam. *Alii*
autem Opem Consiniam esse, dixerunt,
auctore Macrobio, Lib. III. Saturnalium,
Cap. IX. Annon illam ueterum, quae Iouem
de-

designat, opinionem, de hoc Indigete rectius, quam uel de Cretensi illo, uel de alio quouis Ioue, quoniam plures fuisse acceperimus, interpretari posse uideare. Certe Festus. *Indigetes, quorum nomina vulgarine fas.* Quam religionem celandi nomina Deorum tutelarium fuisse, confirmat Plinius Natural. Hist. Lib. XXIIX, Cap. II, nosque infra uberiorius dicemus. At Pontifices ita precabantur. *Iupiter, Optime Maxime, seu utcunque appellari desideras.* teste Seruio ad II Aeneidos. Ipse uero Liuius, iuris quidem Pontificii consultissimus, tanquam aliquid eiusmodi significare uellet. *Situs est,* inquit, *quemcumque eum dici ius fasque est.* Quae uerba ad laudem referenda forte non sunt. De his tamen iudicium esto doctiorum.

VI

Genii praeterea ab genere, obsoleto, δαιμονες ἀπὸ τῆς δαιμονος εἶναι, ut uolunt originum explanatores, attribui quondam confue-

DE EVOCATIONE DEORVM

confuerunt non hominibus tantum singulis,
sed totis etiam ciuitatibus atque populis,
quibus inde ab ortu, perpetui uelut obserua-
tores, adessent. Generales appellat, atque
a singulorum geniis hominum distinguit,
Martianus Capella Lib. II. de Nuptiis Mer-
curii et Philologiae. Symmachus Lib. I.
Ep. XL. *Vt animas nascentibus, ita populis*
fatales genios, urbibus uarios custodes, mens
dijina distribuit. Contra quem Prudentius,
Lib. II. u. CCCCLXXXIX, grauissime perorat.
Genium publicum dixit Ammianus Marcel-
linus, Lib. XXX. *Per quietem aliquem ui-*
sum, ut formari genius publicus solet. For-
marunt autem genios modo serpentes, ut
colligit Adrianus Turnebus, Aduersar.
Lib. XIII, cap. XII. modo platani co-
ronarunt foliis, ut in tabula Cebetis. In Nu-
mis, alibi aliter, effinguntur. Numus Do-
mitiani.

IMP CL DOMITIVS DOMITIANVS AVG
GENIO POPVLI ROMANI

Genius

EX OPIDIS OBSESSIS

Genius stans capite turrito. In dextra est patera, sinistra, cornu copiae, ad pedes ara. in alio. ad pedes aquila. pag. CCCCCVIII. in Adolphi Occonis Numismatibus, quae auctiora Franciscus Mediobarbus euulgauit. Et pag. CCCCCXXIII, CCCCCXXIV, CCCCCXXV. Numus Maximiniani

GENIO POPVLI ROMANI S T
Genius nudus, in dextra patera, sinistra, cornu copiae, capite tecto. pag. CCCCCXXXI, seqq. item radiatus. p. CCCCCXXV. Numus Antonini Pii

GENIO SENATVS
Deus genius, dextra ramum oleae tenens, sinistra, hastam. pag. CLXXXXIV aliquando caduceum, p. CLXXXXV. In Capitolio clypeum fuisse consecratum, cui inscriptum. Genius urbis Romae, sine mas, sine femina, docet Seruius, atque ad morem celandi nomina Deorum tutelarium refert, ad II. Aeneidos, Templum Genii populi Romani Dion Lib. XLVII I, et L, commemorat, cui et maiore.

C res

res hostias caesas quinque, in procurandis prodigiis, narrat Liuius, Lib. XLVII. Cap. LXII. Alexandriae quoque sanum Genii publici fuisse, colligimus ex Ammiano Marcellino, Lib. XXIII. Epigrammata GENIO CONVENT ASTVRICENSIS atque iterum GENIO COL I.V. TARRAC L MINITIVS APRONIANVS II VIR Q.Q TESTAMENTO EX ARG LIBRIS XV PONI IVSSIT extant in sacrosanctae, quae inscribuntur, uetus attis inscriptionibus, a Petro Apiano et Barth. Amantio collectis, pag. VI, inde in Corpus Gruterianum relata

VII

De Fortuna, quam Φερέπολιν dixit
Pindarus, teste Pausania in Messenicis, ita
differit Libanius Sophista. Τύχαι δὲ ἄρα πάντα μὲν τὰ αὐθεώπινα, ὅπη βέλονται, Φέρενσιν,
ἐγκαθίδυνται δὲ δικαιως ταῖς πόλεσιν, εἰς ἀνάπαντα δικαιῶς πατορθέσι τημάνεται.
Longamque fani Fortunae descriptionem adiun-

EX OPIDIS OBSESSIS

adiungit ἐν Ορθοσεω β', quas cum aliis Rhetorum et Sophistarum excerptis Leo Allatius Romae euulgauit. Numi , Cocceii Neruae FORTVNA·P·R· Figura sedens, tenens dextra temonem, sinistra bacillum. p· CXLIIX in Occonis Numismatibus. Item

FORTVNA·POP·ROMANI·S·C

Fortuna stans, dextra sustinens temonem, sinistra, cornu copiae. p· CXLIV· In alio sedens, dextra ramum porrigit, sinistra hastam, non nunquam spicas et papauer, laeua hastam, ferre conspicitur.

Q· RVSTIVS· FORTVNAE· ANTIAT
Quos nummos partim explanat Ezech' Spanheimius, Diatriba de Vesta et Prytanibus Graecorum, cuius scrinia non compilamus. Fortunae signum, Bupali opus, antiquissimum, cuius capiti impositus fuerit polus, manus altera cornu Amaltheae tenuerit, Smyrnae, Aegirae aliud, cornu prae se gerens Amaltheae, astante Cupidine uolucri, in Messenicas et Achaicas, alibi Plutum ferens infan-

C 2

tem,

DE EVOCATIONE DEORVM

tem, in Boeoticis, uisa esse, Pausanias memorat, cum copia et gubernaculo fingi, affirmat Lactantius Divin. Instit. Lib. III. Cap. XXVII

VIII

Sed ut e diuerticulo uelut redeamus in...
uiam, urbes suis quaeque Diis confidere plu-
rimum, et in discrimine rerum supplicare
quem morem expressit Aeschylus ἐπὶ τῷ ἐπὶ^{τῷ}
Θῆραις.

ΩΖεῦ τε καὶ Γῆ, καὶ πολιστᾶχοι θεοί,
ἀράθ' ἑσπερίς πατέρες ἡ μεγασθενής,
μή μοι πόλιν γε πευμόθεν πανώλεθεν
ἐπιθαυμίσῃ τε δημιάλωτον, ἐπιάδος
Φθόγγον χέψαν, ναὶ δόμες ἐφεξίας
ἐλευθέρου δὲ γῆντε ναὶ παδύμα πόλιν
συγκοιτίας μήποτε χέζειν.
γένεσθε δ' αἰλική.

Nec uero magnae tantum amplaeque urbes,
sed etiam opida minora, et modici uici, ne
hostium incursione uastantur, patrios
Deos colebant. Submonet Tertullianus in...

Apo-

EX OPIDIS OBSESSIS

Apologetico, Cap. XXIII, et, qui illo usus est,
Alexander ab Alexandro, L. VI, C. IV. Quare,
cum Deorum praesidium nemini illorum ue-
terum esset dubium, oppugnantium, ut elice-
rent eos ex opidis, interesse videbatur.
Hinc in peruerteri carmine exserte euocatur
tutelaris Carthaginensium Deus. *Si Deus, si*
Dea, es, cui populus ciuitasque Carthaginensis
est intutela, teque maxime ille, qui urbis huic
popoli que tutelam receperisti. Quod a Sammoni-
co Sereno V. Rerum Reconditarum proditum
accepimus. Et Veientium Numen, in illo apud
Liuium. *Tesimul Iuno Regina, quae nunc Veios*
colis, precor. Lib. V. C. XXI. In oppugnationi-
bus enim id sacrum a Romanis fieri consues-
se, una scriptores consensione affirmant. Sed,
quo speciatim obsidionis tempore, non satis,
mea quidem opinione, definit doctissimus
cetera Virgilii interpres Germanus. Neque
enim, sicut ille ad II. Aeneidos u. CCCL enar-
rat, ante, quam machinas ulla muris admo-
uerent oppugnantes, euocatio fiebat, sed

C 3 post-

DE EVOCATIONE DEORVM

postquam operibus iam, militumque studio,
eo res esset deducta, ut restaret ultima tan-
tum uis, opidis adhibenda , atque supre-
mo nunc impetu expugnari urbs posse ui-
deretur. Macrobius. *Quum obſiderent ur-
bem, eamque iam capi poſſe conſiderent. Quem
quidem etſi, uti ſolet, non nominat, tamen,
ubi, more ſuo, deſcribit, ſic exponit Geni-
alium Dierum ſcriptor. Ubi ad ultimam
dimicationem uenitum eſſet. Lib. VI, Cap. IV.*
Seruius, ante expugnationem euocata fuiffe
Numina, conſirmat. Optime res declara-
tur exemplo, quod extat apud Liuum, loco
ante laudato. Ibi enim Veis , urbe opulen-
tissima, perducto in arceū cuniculo, Camil-
lus, dictator, quium iam in manibus uideret
uictoriam eſſe, edicto, ut arma caperent mi-
litēs, conceptis uerbis euocasse Deam, atque
ea precatus, et ſuperante multitudine , ab o-
mnibus locis urbem aggreflus, hanc uia tradi-
tur cepiffe. Quo conſilio fecerint, aut fine, op-
pu-

EX OPIDIS OBSESSIS

pugnantes, ambigat quis, si euoluat Macrobi-
um, Lib. III. Saturnal. C. IX. quod aut aliter ur-
bem capi posse non crederent, aut, si possent, ne-
fas aestimarent, Deos habere captivos. At i-
dem paullo ante dixerat, ab Romanis euo-
cari Deos consuesse, cum, obsessam hosti-
um urbem iam capi posse, existimarent. I-
taque, ut scriptor Saturnalium constet sibi,
ea poterat esse urbis obsessae fortuna, ut
hostibus resistere ciues non posse uidéren-
tur. Tanta uero Romanorum erga Deo-
rum, sine quibus nihil domi forisque geren-
dum putabant, uim numenque etat religio,
utillos, crederent, et propitios secundosque
dare uictoriam, et offensos atque iratos adi-
mere, quod, timebant, ne fieret, si, captis
Deorum templis, cum iis quasi bellum ge-
rerent, hotumque se uictores ostenta-
rent. Speciatim sibi a Diis, qui ur-
bis populiique tutelam receperint, me-
tuisse, ne uirtus, ut ait ille, uictis in pae-
cor-

DE EVOC[•] DEOR[•] EX OPP[•] OBSESSIS

cordia redeat, declarare uidentur, cum pre-
cantur, ut ei populo cinitati que metus, formi-
do, obliuio, iniiciatur. Quod si urbs,
Diis nihil obſiſtentibus, occupari poſſit,
metuebant rurſus, ne Diis, quos captiuos
haberent, propter nouum iſtud nefas, aut
in exercitu, atque caſtris, aut in urbe, poe-
nas, uario malorum ſenu, darent. Quare
Seruius, ſi tamen huius unius illa ſunt
ſcholia. Propter uitanda, inquit, ſacrile-
gia euocabantur numina ab hostibus. ad II
Aeneidos. Plenius Macrobiuſ exponit
reditque Alexander ab Alexandro. nefas o-
pinati, Deos, urbium praefides, urbe hostili-
ter direpta, uelut mancipia, captiuos habe-
re. Huc accedit Germanus, ne θεουαχέω
uiderentur. Et Godescalcus Steuechius,
ubilunc ritum attingit. ne quid ſuperos of-
fenderent. ad Lib[•] II Vegetii, pag[•] CXLIX
Cap[•] IX

EXPLICIT DISSERTATIO
PRIMA

6

2. B. V
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISS. PRINCIPE REGIO
FRIDERICO AVGVSTO
EVOCATIONEM DEORVM
EX OPIDIS OBSESSIS
E MEMORIA VETERI
REPETITAM
A. D. XIV. KAL. JANVAR.
A. R. G.
OO IO CC XV
PVBLICE DISPVTABVNT

M. IACOBVS FRIDERICVS LVEDECKE

ET
IOANNES CHRISTIANVS CRACO
DAHMA SAXO

VITEMBERGAE AD ALRIM
PRELO SCHROEDERIANO

INCIPIT DISSERTATIO ALTERA
DE
EVOCATIONE DEORVM
EX
OPIDIS OBSESSIS

I

ARomanis sacerdotibus factam euocationem, de Verrii Flacci auctoritate, affirmat Plinius Natur Hist L'XXVIII C'II Addit idem Plinius, durare in Pontificum disciplina id sacrum. Quod indicio est, sanctius fuisse habitum hoc institutum, sacerdotumque administrationi relictum. Titus uero Liuius, M. Furium Camillum dictatorem recitasse carmen, tradit, Lib. V Cap. XXI. Qua loquendi breuitate forte non excludit Pontificem, qui carmen praefari, ex Romanorum consuetudine, solebat. Sic Decius, consul, cum se pro exercitu deuouendum putaret, agedum, inquit, Pontifex Publicus populi Romani, praei uerba, quibus me pro legionibus deuoueam. Liu lib VIII, Cap. IX. Hinc Liuius testatur, Camillum, ausspicio egressum fuisse ad Deam euocandam, ut doceat, eum rite cuncta peregisse. Certa carminis uerba sunt. Mihi quoque, populoque Romano, militibusque meis, praepositis situs. Haec uerba a sacerdotibus, ut ait Verrius Plinianus, recita-

D

tata

DE EVOCATIONE DEORVM

tata, docent fere, carmen praeente Pontifice, Imperatorem extulisse. Votis autem conceptisque carminibus Deorum euocatio fiebat, de quorum ui uberrime disputat Plinius, loco ante laudato, atque horum frequens fuit usus in Magicis, quod in Theocriti Syracusani, et Virgilii, Pharmaceutris expressum est. Ipsas autem, quae ab hostibus fierent, Deum euocationes γονέας τηνάς θεῶν appellat Plutarchus in Περὶ μαγιστρῶν. Carminum praeterea uim Ouidius Amorum III. Eleg. VII. u. XXXI. et copiose Lucanus, Belli Civili. VI. persequuntur. Inde Ouidius, quem Iouis, qui postea appellatus Elicius est, deuocationi Picum et Faunum operantes facit, usos carminibus ait.

quae carmina dicant,

Quaue trahant superis sedibus arte louem,

Scire nefas homini.

Lib. III. Falter uerf. C C C X X I I I . sq. Atque in Capitolio, quum exaugurandae essent aerae Deorum πολλὰ παρεγνήσασθαι νοῦ λυπαρῆσαι τὰς μάντεις, Dionysius tradit Halicarnass. ἀρχαιολογίας Φων. L. III. C. IX. in quam forte sententiam Glossae veteres, elicere, ἐνθείσεω, exponunt, quod Diis quaedam ueluti uis inferri uideretur. Ipsius uoti, quo euocarentur Dii, posterior

EX OPIDIS OBSESSIS

tior summa est, ut obtestarentur Deos, desertam
relinquerent urbem obsessam, atque iis eundem
uel ampliorem locum cultumue Romae promit-
terent, ut ex Verrio Flacco Plinius colligit, et in
Romanis quaestionibus Plutarchus confirmat.
Sed Macrobii diligentia carminis exemplum ad
nos peruenit. Tale enim prodidit Sammonicus
Serenus in quinto rerum reconditarum, quod se
in Furii cuiusdam uetustissimo libro reperiisse pro-
fessus est. *Si Deus, si Dea es, non, ut quidam,*
est, cui populus ciuitasque Carthaginensis est in
tutela, teque maxime ille, qui urbis huius populi-
que tutelam receperisti, precor, uenerorque, ueni-
amque a uobis peto, ut uos populum ciuitatemque
Carthaginem ueritas deseratis, loca, templa, sacra,
urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis,
eique populo ciuitatique metum, formidinem,
obliuionem, iniiciatis, proditique Romanu[m] ad me
meosque ueniat, nostra que uobis loca, templa,
sacra, urbs, acceptior probatiorque sit, nihilique,
populoque Romano, militibusque meis praepositi
sitis, ut sciamus, intelligamusque. Si ita feceri-
tis, uero uobis templa, ludosque facturum. V-
bi obseruandum, proditi, tanquam prodeuentes, di-
cium esse, ut saepe est in veterum Poetarum frag-

D 2

men.

DE EVOCATIONE DEORVM

mentis. Miror tamen ego, cum ex religione celandi nomina Deorum tutelarium, ne euocari possent, diceat coniici, nominatim euocandos fuisse Deos, quare in laudato carmine Deus Carthaginiensium nomine nullo compelletur, nisi forte, ut arbitrari quis possit, nihil attinuit nominatim appellare Deos, ubi duntaxat exemplum solemnis formulae afferretur. Hinc illud in uerbis his certis. *Tet
que maxime ille.* ubi, ni fallor, edebatur nomen ipsum Dei, cuius praecipua ratio uidebatur habenda. Secus est in illo apud Liuium, in breuius contracto, ubi historicus singulare factum exponebat. Lib. V. Cap. XXI. *Te, Iuno Regi-
na, quae nunc Veios colis, precor, ut nos uictores
in nostram, tuamque mox futuram, urbem sequar-
e, ubi te dignum amplitudine tua templum acci-
piat.* Neque tamen, ut carminis tantum esse *παραγίδεια ψα*, quod assert Macrobius, plane credam, permittit, quod singulare nomen Carthaginis in eo plus semel legitur, aliena quidem ab exemplo ratione, et paullo post ipsam Urbem Carthaginem, ab Imperatore deuotam, quam deuotionem praecedebat euocatio, idem ille scriptor affirmat. Quare de illo quidem Macrobi loco ampliamus.

X In

In eadem uerba, continuat Saturnalium scriptor, hostias fieri oportet, auctoritatemque uideli extorum, ut ea promittant futura. Sed quum liberanda religionibus area Capitolii esset, augures aues, ut augurum uerbo loquar, spexerunt. Dionysius. ἐδοξε δὲ τοῖς οἰωνοπόλοις υπὲρ ἑπάτης Ρωμᾶς τῶν καθιδρυμένων, διαματευσταρένοις, ἐὰν παιειχωρέωσιν οἱ θεοὶ, τότε νῦν αὐτάς. Lilius L. I. C. LV. quum omnium saeculorum exaugurationes admitterent aues, in Termini fano non addixere. Sed hisfere, sine rentine Dii euocari se, atque alio transferri, Deum uoluntatis conjecturis utebantur. Quod si inde colligerent, recusare Deos, nefas, eos loco moueri, putabatur, ut accidisse creditum est, L. Tarquinio Rege, quum templi, quod Ioui pater destinasset, in Tarpeio monte perficiendi caussa, ut libera a caeteris religionibus arx ea esset, tota Iouis templique eius, quod inaedificaretur, exaugurare fana sacellaque statuisset, quorum aliqua ibi a Tatio Rege primum in ipso discrimine aduersus Romulum pugnae uota, consecrata, inaugurateque postea fuerant. Tum enim, ut rem Liliui enarrem uerbis, quum omni-

DE EVOCATIONE DEORVM

um facellorum exaugurationes admitterent aues,
in Termimi fano non addixere. idque omen au-
guriumque ita acceptum est, non motam Termi-
ni sedem, unumque eum Deorum non euoca-
tum, sacratis sibi finibus, firma stabiliaque cun-
cta portendere. Sed in Iuuentatis fano idem-
tum euensis, adiicit Epitome Liuiana. Atque
ipse Liuius in oratione Camilli L. V. c. LV. Dio-
nysius utriusque aras, comprehensas templi ae-
dificio, mansisse confirmat. L. III. C. IX. Atque eo-
dem spectat peruetus aenigma.

Semel, minusne, an bis minus sit, non sat scio.
Aniutrumque horum, ut quondam audiui dicier,
loui ipsi regi noluit concedere.

Quod extat inenarratum apud Gellium Noct. Att.
L. XII. C. VI. Semel enim et bis conficiunt ter, cui si
minus adiicias, Terminus efficitur, qui loui noluit
concedere. Praeterea Festus in Nouae Curiae, aedi-
ficas esse, quod parum amplae fuissent ueteres, a Ro-
mulo factae, et quum e ueteribus in nouas euo-
carentur, septem curiarum per religiones euo-
cari non potuisse, cum multis idoneis scriptori-
bus testatur. Sed ut ad hostilem euocationem
reuertamur, uidendum, ait Macrobius, ne, quod
nonnulli male aestimauerunt, nos quoque con-
fun-

EX OPIDIS OBSESSIS

fundat, opinantes uno carmine et euocari ex
urbe aliqua Deos, et ipsam deuotam fieri ciuita-
tem. Dictatores imperatoresque solos posse de-
nouere, tradit ibidem, atque eius rei exemplis,
quae prorita sunt apud Liuum, aliosque, con-
firmari uidetur posse. Tum separatum carmen,
quo deuoueantur urbes, numinibus iam euoca-
tis, ex Sammonico Sereno subiungit, gestusque
precantum describit. Plura eius generis uota
collegit Barnabas Brissonius de Formulis et so-
lemnibus populi Romani uerbis. In antiquita-
tibus autem haec se opida inuenisse deuota, sub-
iicit ille, Fregellas, Gabios, Veios, Fidenas. haec
intra Italianam. praeterea Carthaginem et Corin-
thum. Sed et multos exercitus opidaque bo-
stium barbarorum, quos prisci loquuntur anna-
les. Quas illarum urbium deuotiones quin pree-
cesserint euocationes Deorum, dubitandum non
esse, puto. Durasse euocationis Deum sacrum in
Pontificum disciplina sua aetate, scribit Plinius ma-
ior Natur Hist. Lib. XXVIII. Cap. II

III

Vndique oppugnatam captamque urbem
Veios, postquam euocata esset Juno Dea, de-
scribit

DE EVOCATIONE DEORVM

Scribit Liujius. Haec precatus dictator, superante multitudine, ab omnibus locis urbem aggreditur. Veientes ignari, iam in partem praedae suae uocatos Deos, alios uotis ex urbe sua euocatos, hostium templo nouisque sedes spectare, seque ultimum illum diem agere, et quae sunt reliqua. Excedere crediti Dii, irati, opidis excidio uicinis. AEschylus ἐπὶ ἑταῖραις. u. CCLXIII

ἀν' ὅν θεός

Ἴης τῆς ἀλάσσης πόλεος ἐν λέπιπειν λόγος.

Interpres. Λέγουσι γὰρ, ὅτι, ὅταν ἔμελε πορθῆναι η Τεργια, ἐφάνησαν οἱ θεοὶ τοῖς Τρωσὶν ἀνελόμενοι ἐν τῷ ναῶν ἡδίαι μαλακαί αὐτῶν. atque iterum. ἄργυται δὲ ἐν Σοανῇ Θάσῳ Σοφοὶ πλέος, ως οἱ θεοὶ αἴπερ τῆς Ιλίας Φέρεσσον ἐπὶ τῷ ὥμων τε ἑαυτῶν ξόανα. Euripides in Troadibus u. XXV· persona Neptuni.

λέπια τὸ ιλεινὸν ἵλιον βωμάς τ' ἐμάς. quem uersum laudat Macrobius L. V. Saturni. C. XXII. Tryphiodorus, in ἀλώσει Ιλία.

Χάζετο δὲ Ιλιόθεν, Δυνής ἐπὶ πίονα νηὸν,
Ἄχνύμενος μεγάλοις ἐπὶ τάχεσι Φοῖβος
Απόλλων.

Panthus ad AEneam apud Virgilium.

Venit

EX OPIDIS OBSESSIS

*Venit summa dies, et ineluctabile tempus,
Dardaniae. fuius Troes, fuit Ilium,
et ingens*

*Gloria Tencrorum. Ferus omnia luppi-
ter Argos*

Transtulit.

Aeneidos II. u. CCCXXVI. Et u. CCCLI. AEneas.

Quae sit rebus fortuna, uidetis.

Excessere omnes, adytis arisque relictis,

Di, quibus imperium hoc steterat

Vbi a Seruui et Macrobi explanationibus M.
Anton. Muretus Var. Lect. L. V.C. XIX. et Adria-
nus Turnebus Aduers. L. XIV. C. XV. leuiter disce-
dunt. Ut omittam alia, in sacris etiam libris eius
rei fieri mentionem, memorabile uidetur. Sice-
nun proditum est in Ieremiae oraculis, ut ha-
bent septuaginta uiri, C. XII. u. VII. ἐγναπαλέ-
λοιπα τὸν δίκον μ.ε., ἀφῆνα τὴν οὐλησυρμάν μ.ε.
et quod praedictum Iudeis a Saluatore fuerat.
id, ἀφεται ύμιν ὁ δίκος ύμιῶν ἔρημος. in Mat-
thaei Evangelio C. XXIII. u. XXXVIII. id evenisse
postea, paullo ante expugnationem urbis, uocem
que in templo exauditam. μεταβῶμεν ἐντεῦθεν. Iose-
phus, uernaculaus scriptor, ipse confitetur. L. VII, C.
XXXI. de bello Iudaico, atque a Tacito, ea ta-

DE EVOCATIONE DEORVM

men fide, qua Iudaica referre solet, proditum memoriae est. *Ex passae repente delubri fores et audit a maior humana uox, excedere Deos. simul ingens motus excedentium.* L· V· Annalium. De cuius uocis prolatae tempore contra Patrum aliquorum sententiam disputat Iustus Ios Scaliger Animaduers in Euseb. Chron. num. MMXLIV

IV

Opidis captis, tanquam hostium spolia, et parata belli iure, Deum signa, amota sedibus suis, deportabant in urbem uictricem, atque ibi religio-
le accepta collocabant, uotaque illis templo de-
dicabant. Peregrina enim *sacra sunt*, auctore
Festo, quae aut euocatis Diis in oppugnandis ur-
bibus Romam sunt collata, aut quae ob quosdam
religiones per pacem sunt petita, quae coluntur
eorum more, a quibus sunt accepta. Atque illum
quidem morem Graecis et barbaris perantiquum
fuisse, adductis in hanc sententiam exemplis,
copiose euincit Pausanias in Arcadicis. Sed o-
mnem ritum elegantissime describit Liuius L· V·
c. XXII. quae si aliis, quam ipsius, referrem-
uerbis, uereor, ne multum lucis ac dignitatis rei
decederet. *Quum iam humanae opes egestae a
Viuis essent, et moliri tum Deum dona ip[s]que De-
os, sed colentium magis, quam rapientium modo,
coepere*

EX OPIDIS OBSESSIS

coepere. namque delecti ex omni exercitu iuuenes,
pure lotis corporibus, candida ueste, quibus de-
portanda Romam Regina Iuno assignata erat, ue-
nerabundi, templum inire, primo religiose admo-
uentes manus, deinde, quum quidam, seu spiritu
diuino tactus, seu iuuenili ioco, Visne Romam ire
Iuno, dixisset, annuisse ceteri Deam conclama-
uerunt. Inde fabulae adiectum est, uocem quo-
que dicentis, Velle, auditum. motam certe sede
sua parui molimenti adminiculis, sequentis mo-
do, accepimus leuem ac facilem translatu fuisse,
integrarique in Auentinum, aeternam sedem
suam, quo uota Romani dictatoris uocauerant,
per latam, ubi templum ei postea idem, qui uoce-
rat, Camillus dedicauit. Cuius sententiam non
satis diligenter in Graecum transfert Plutarchus.
Διεύος δέ Φησιν, ἐγχεάδαι μὲν τὸν Καμίλον ἀ-
πόμενον τῆς θεᾶς κοὐ παρεγναθέν, αποφένωσαι
δέ πνιας τῶν πρεσόντων, ὅτι κοὐ βέλεται, κοὺστη-
ναζανεῖ, καὶ στρανολαζεῖ πεσθύμως. in uita Camilli.
Id uero damnum grauissime ferunt Ambracienses,
qui de M Fulvio in senatu queruntur. Quod se ante
omnia moueat, templa tota spoliata ornamentiis,
simulacra Deum, Deos immo ipsos conuulsos ex
sedibus suis ablatos esse, parietes posse que nuda-
tos, quos adorent, ad quos precentur et supplicant,

E 2

Am-

DE EVOCATIONE DEORVM

Ambraciensibus non superesse. apud Liuium L.
XXXVIII. Sed maiore animo, censet idem, eius
generis praeda abstinuit Fabius, quam Marcellus,
qui, capta urbe Tarento, interroganti scribae,
quid uellet fieri de signis Deum, Deos iratos Ta-
rentinis relinqui iuist. L. XXVIII. Et ubi, Marcell-
lum ornamenta tabulasque Syracusarum deue-
xisse Romam, commemorat, inde primum initiu-
m mirandi Graecarum artium opera, licentiae-
que illi, sacra profanaque omnia uulgo spoliandi,
factum esse existimat. L. XXV. C. XL. In festa,
credite mibi, signa ab Syracusis illata sunt huic
urbi. Hos ego malo propitios Deos, et ita spero
futuros, si in suis manere sedibus patiemur, orat
Cato apud eundem L. XXXIV. Vanitatem gen-
tium praeter alios arguit Octavius ille Minucia-
nus. Hoc insultare et illudere est, uictis religio-
nibus seruire, captivas eas post uictorias adorare.
Nam adorare, quae manu ceperis, sacrilegium,
est, consecrare, non numina. c. XXV

V

Reliquum est, ut pauca subiiciamus de reli-
gione veteri, qua, ne euocari possent, Deorum
tutelarium nomina diligentissime occultarunt.
Macrobius. *Romani et Deum, in cuius tutela*
urbs Roma est, et ipsius urbis Latinum nomen,
igno-

EX OPIDIS OBSESSIS

ignotum esse uoluerunt, cauentes, ne, quod saepe aduersus urbes hostium fecisse se nouerant, idem ipsi quoque hostile euocatione paterentur, si tutae suae nomen diulgaretur. Atque Seruius ad II. Aeneidos. Romani celatum esse uoluerunt, in cuius Dei tutela urbs Roma sit, et iure Pontificum cautum est, ne suis nominibus Dii Romani appellarentur, ne exaugurari possint. Et in Capitulo fuit clypeus consecratus, cui scriptum erat. Genio urbis Romae, siue mas, siue femina. Et Pontifices ita precabantur, Iupiter optime maxime, siue quo alio nomine te appellari uolueris. Quod idem ad IV. Aeneidos et I. Georgicorum, Plutarchus in Quaestione Romana. διὰ τὸν θεὸν ἐνεῖνον, ὃ μάλιστα πνύωμα τόσην προσῆγει καὶ Θυλάττειν, εἴτε εἰν αὔρρην, εἴτε θήλεια, καὶ λέγειν αἱ πάρεγκται, καὶ ζητεῖν, καὶ ὀνομάζειν atque Plinius Nat. Hist. L. xxix. C. ii. confirmant. Eodem uero consilio θεοῖς ἀγνώστις, quali insigne titulo aram Paulo uisam Athenis ex Actibus Apostolicis notum est, et cuiusmodi alibi aliae extiterunt, tanquam Dis tutelaribus, quorum occultanda nomina essent, inscriptas dedicataeque aras fuisse, mihi non persuadet Tomasinus de Donariis C. iii, qui malim in hoc simpliciorem explanationem sequi. De urbis item nomine proprio

DE EVOCATIONE DEORVM

proprio Solinus ex Plinii Nat. Hist. L. III. c. V. ne id
enunciaretur, arcanae caerimoniarum sanctum prodit,
ut eo pacto notitiam eius aboleret fides placitae tacitur-
nitatis. Polyhist. C. I. Triplex enim Romae nomen
fuisse Erythraeus in indice Virgiliano, et Angelus
Politianus L. I. Ep. II. ex auctoritate veterum, affir-
mant. Faceant tamen ineptiae Annii illius Viter-
biensis, qui in Commentariis ad Pseudo-Xenophon-
tem de Æquiu^p XLVI Romanorum arcana id urbis
nomen fuisse, nugatur. Valerium Soranum, quod id
nomen contra interdictum eloqui ausus esset, ob meritum
profanae uocis peci datum, cum Plinio tradit ibidem
Solinus. Plutarchus in Quaestione laudata, et Seruius
ad I^o Georg. quod Dei nomen enunciasset, in crucem le-
uatum, produnt. Eius uero silentii praesulem Ange-
ronam, quam Angenor qm dici uoluit Scaliger Con-
iectan. in Varr. de L. L. iure confutatus a Salmasio
ad Solinum p^r VIII. Angeroniam Verrius Flaccus
extulit, praenexo obsignatoque ore simulacrum habui-
se, narrat idem Solinus. Macrobius, tanquam ex eundem
Deam, digito ad os admoto silentium denunciasse, confir-
mat. L. I. Sar. C. X. at pro ipsa Dea Romae tutelari a qui-
busdam veterum esse, auctor est idem L. III. C.
IX. Occultationis causam, quam ipsi tuendam relin-
quimus, reddere conatur Galeottus Martius. Spiritus
addicti ex astris nomini proprio nunquam elicuntur, nisi
nomen loci proprium audiunt, et, ne hoc aduersus Romanum
fieri posset, semper proprium Romae nomen celatum est
maxima cura. de promiscua disciplina Cap. I

V I

Ne qua transirent ad hostes, Deum simulacula
vinciri

vinciri etiam, et catenis constringi, mos fuit, quae
tiincula post a uictoribus dissoluebantur. Plutarchus
in Alexandro. ὅνας εἶδε τὸν Ήρακλέα δέξιόντος αὐτὸν ἀπὸ^{τῆς} τείχους, καὶ καλέντα. τὸν δὲ Τυρίων πολλοῖς καὶ τὰς ψηφιας
θόρυβον ὁ ἀπόδιων λέγειν, ὡς ἀπεισι πρὸς Αλέξανδρον, αὐτὸν δι-
τοι μεν, ὡς περ ἀνθετον αὐτομολῆται πρὸς τὰς πολεμικές, ἐπ-
ειτοφέρει τὸν θεόν εἰληφότες, σεργάσεις θωκοσῶ περιέβαλ-
λον αὐτόν, καὶ παθήτων πρὸς τὴν θάσον, Αλέξανδριν καλέν-
ται. De Herculis ara adiicit Q. Curtius. Quum u-
nius e ciuibus concioni indicasset, oblatam esse per jo-
minum sibi speciem Apollinis, quem eximia religione cole-
rent, urbem deferentis, aurea catena deuinxere simulac-
rum, ara aeque Herculis, cuius numini urbem dicauerant,
inseruere uinculum, quasi illo Deo Apollinem retenturi.
L. IV. C. III. Alexander uero Apollini catenas au-
reas, quas iniécerant Tyrii, detraxit. Hinc Apol-
linem Philalexandrum, hoc est, Alexandri sui libe-
ratoris amicum, dixerunt, ut autor est Diodorus.
Veneris signo compedes addidisse Tyndareus, Dia-
nae ἀπαγχουμένης aptū Caphyrides fuisse in Laconi-
cis et Arcadicis Pausanias, Saſurnum alligatum per
annum laneo uinculo solui ad diem sibi festum, ex A-
pollodoro Macrobius, et in Cronosolone Lucianus
confirmat. Plato in Menone. τὰ Δαιδάλια ἀγάλματα
ἴαν μὴ δεδεμένα ή, ἀποδιδόσκει καὶ δεσπειένει, ίαν δὲ δεδε-
μένα, παραμένει. De Enyalii in compedibus signo, quod
fuit Lacedaemoni, Pausanias. γνώμην ή αὐτήν Δακεδα-
μωνίων τε ἐς Τύπτοντας ἄγαλμα, καὶ Αθηναίων ἐς τὴν ἀπῆσον κα-
λεμένην Νίνην. Τῶν μὲν ἔποτε τὸν Ευνάσιον Θεύγοντα σιχῆσε Φαῖ
Φοίσιον ἐνεχόμενον τὰς πέδας, Αθηναίων δὲ τὴν Νίνην αὐτοῦ
αἱ μάνειν διὰ νύτων πτερῶν. in Laconicis. Aliud inuolu-
cris Victoriae simulacrum idem in primo Eliaco-
rum commemorat. At Romae, quum Victoriae
signo

DE EVOCATIONE DEORVM

signo alae fulmine essent decussae, in omen rem uer-
tit Pompeius.

Roma potens, alis cur stat Victoria lapsis.

Urbem ne ualeat deseruisse suam.

Nonnulli etiam sponsores a diis petebant, ne euoca-
rentur, atque abirent, ut ex Plutarcho, quem tamen non
nominat, obseruat Alexander ab Alexandro, L-VI-C-IV

VII

Sed qui locum etiam sacrum religione uellent libera-
re, sacra inde euocabant, ut habet Vlpianus, qui ritus,
quoniam eicum hostili euocatione conuenit maxime, a me
per occasionem, una simul opera, supra ex parte explanatus
est. Sic Iannes carmine cuidam signo uim legitur ad-
emisse, apud Zonarum T. III. Annalium quo siebant
 $\alpha\psi\chi\alpha$, ut habet Suidas in $\delta\alpha\gamma\nu\omega\mu\omega$, atque $\eta\tau\alpha\tau\kappa\sigma\omega$,
cui sagacitatem discernendi illa ab $\iota\mu\psi\chi\omega\zeta\alpha\lambda\mu\sigma\omega$
ibidem tradit fuisse. De Ioue Elicio, quem Pici et Fau-
ni ope, sicut fertur fabula, coelo elicitum, Numa de ex-
piandis fulminibus praecepsisse, et aram statumque sa-
crum in Auentino habuisse, narrant Ouidius L-III. Fa-
storum, Plutarchus in Numa, aliique, hic fuse dicere,
nostrum non est instituti. Graeci $\delta\alpha\tau\omega\tau\omega\kappa\alpha\beta\omega\tau\omega$ uiden-
tur extulisse, cuius aram, praeter Etymologum, com-
merat Pausanias in I. Eliacorum, placansque item ful-
minibus praefuisse, ex Pollucis Onomastico L-IX. colli-
gere est. Id admonendum est, errare Plutarchum, qui
locum, ubi Iupiter descendisset, $\eta\lambda\mu\omega$ dictum, inter-
pretetur, $\tau\omega\delta\epsilon\tau\omega\eta\lambda\mu\omega\alpha\pi'$ $\iota\kappa\epsilon\iota\kappa\omega\pi\tau\omega\alpha\mu\omega\eta\pi\omega\mu\omega$,
quum ea Iouis appellatio sit. Luna, sicut alii dii omnes
a Magis caelo deduci posse pari olim levitate credita
est, quam Delrius Disquisitionum Magicarum L-II. quaest.

IX, X, et XI, copiosè arguit et confutauit

EXPLICIT DISSERTATIO ALTERA


Postquam haec formis exscripta essent, obla-
ta est nobis forte Viri illustris, Henrici Coc-
cii, ad L· IX· §· II. II· de Rer· Diu· Dissertatio
de Euocatione Sacrorum , ubi Sect· I· ritum
hunc obiter attingit. Ait ibi ille §· III· *Traxisse*,
eum morem uidentur Romani ab obſidione Veiorum,
atque actus ille Iunonis ex Veis urbe euocatae
tam illustris atque solemnis mori huic initium de-
diſſe. Sed antiquius fuisse Romanis id sacrum,
cum alia ſunt indicio, tum ſatis euincit, quod L·
Tarquinio, Rege, narratur accidisse, in exaugu-
ratione facellorum ueterum, quae erant in Tar-
peio monte, Terminum, et luuentatem, euoca-
ri ſe non paſſos, Liuius L· I· C· LV· Dionys Hali-
carnassens L· III· C· IX, aliiq. de quo ſupra dictum
uberius eſt. Deinde §. 6. euocationi Deorum ſi-
mile eſſe, quod in Petronii fragmento picta. Tro-
iani excidiū referat imago :

Contra que Troas Troia inuocant ſacra.

At id uero diſſimile eſt, mea quidem opinione,
neque euocationis Deum ſacro commode com-
paratur, quod et Graeci abuſiſſe uidentur ab
hoc iſtituto, et ex illis uerbis ſacri huius for-
ma elici nullo modo potest

Dieß ist ein großer und sehr schöner alter
handschriftlicher Codex aus dem 15. Jahrhundert.
Der Codex besteht aus 120 Blättern
und enthält eine Reihe von handschriftlichen
Texten, die wahrscheinlich aus verschiedenen
Quellen stammen. Die Schrift ist in einem
einfachen, aber gut lesbaren Stil verfasst.
Einige der Seiten sind mit farbigen Tinte
oder Goldfarbe verziert. Der Codex ist
in einem guten Zustand und hat eine
gute Erhaltung.

Die handschriftlichen Texte im Codex
sind wahrscheinlich aus verschiedenen
Quellen stammen. Einige der Seiten sind
mit farbigen Tinte oder Goldfarbe verziert.
Der Codex ist in einem guten Zustand und
hat eine gute Erhaltung.



154699

(X2618588)

VD 17

R



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISS. PRINCIPE REGIO
FRIDERICO AVGVSTO
EVOCATIONEM DEORVM
EX OPIDIS OBSESSIS
E MEMORIA VETERI
REPETITAM
PRAESIDE
IO. GVILELMO BERGERO
P. P.
NONIS DECEMBRIBVS
A. R. G.
8 CI CC XIV
EDISSERET
IACOBVS FRIDERICVS LVEDECKE
LIBERAL. ART. MAGISTER
AVCTOR
VITEMBERGAE AD ALRIM
PRELO SCHROEDERIANO

